



MArcon pietate & doctrina apud Septētrio-
nales Germanos Christum prædicauit, atq̃
sua eruditiōe & sanctitate plurimos impios ad ue-
ram religionem perduxit, circa annum Domini
940. Itaq̃ Otto magnus Imperator eum apud Va-
grios in urbe Aldenburgo, quæ & Starigrad dici-
tur, eo tempore celeberrima, Episcopum ordina-
uit, atq̃ multis oppidis, pagis, & priuilegijs exor-
nauit. Hic itaq̃ spartam suam adornans, uerbo &
exemplo mirificè rem Christianam uersus Sarma-
tas auxit, & Christo seruiens multos baptizauit et
instituit. Tādē moriens Episcopatum Eguardo
successori tradidit. Erant huius Episcopatus fines

lalisissimi, ita ut Vandali, Brandenburgici, Pomerani, Meckelburgij, & multi
aliij populi ei subijcerentur. Itaq̃ postea in tres Episcopatus, Ratzenburgen-
sem, Meckelburgensem & Suerinensem diuisus. Cum Aldenburgum uerò
paulatim minueretur, atque mare recedente ex ciuitate pagus fieret, E-
piscopatus inde Lubeckam translatus fuit. Monst,